



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. XII. Ordo Cruciferorum seu Crucigerorum in Italia, & alibi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

piscopus Aconensis , qui anno 1240. floruit.

CAPVT XI.

*Ordo sanctæ Mariæ de Mercede &
Redemptione captiuo-
rum.*

HIC ordo anno 1218. per *Iacobum I. Aragoniæ Regem*, & *S. Raimundum Pennafortium*, monachum, Dominicanum institutus, partim monachos, partim Equites complectitur. Ceterum vt *Trinitarij* (de quibus supra diximus) sic & *Mercenarij* ex professo tenentur stipem colligere, eamque captiuis à seruitute Turcica, ac Maurica liberandis impendere; quod & sedulò præstant, ingenti ære quotannis in Africam, Asiam, & Græciam per suos misso.

CAPVT XII.

*Ordo Cruciferorum seu Crucigerorum,
in Italia, & alibi.*

NEC prætereundi sunt Crucigeri, quorum initia bini Pontifices, Alexander tertius & sextus, in quibusdã diplomatibus ad *Cletū*,
Petri

Petri successorem retulere : non quòd tum eam haberent, quam nunc videmus, religionis formam, sed erat cœtus quidam hominum ad recipiēdos Christianos institutus, inopes præfertim, qui peregrè aduenirent : qui cùm deinde & aliorum tyrannorum, & maximè Iuliani apostatæ acerbitate afflictus esset, demum ab Urbano II. recreatus est, eo tempore cùm Christiani Principes cruce signati, bellum barbaris inferentes, Antiochiam & Hierosolymam feliciter receperunt. Ornatus deinde ab Alexandro III. varijs beneficijs, quòd is Frederici AEnobardi vim fugiens, illorum hospitalibus domibus crebrò ac benignè acceptus fuerat, etiam aduersus Imperatoris edicta minacia. Pius demum II. Papa anno M. CCCC. LX. in Concilio Mantuano, cùm expeditionem in terram sanctam pararet, cæruleam ijs vestem assignauit (incertum qua causa) cùm antea cineritia vterentur. Sic ferè Hieronymus Platus lib. de bono status Religiosi.

Ceterum Crucigeri isti in Italia solent ordinariè Crucem argenteam manu gestare.

Cruciferorum porrò ordinem anno M. C. LIX. à Gerardo Priore monasterij S. Mariæ Bononiæ institutum, vel potius reformatum, auctore Alexandro III. Papa, qui eius instituti sodalibus viuendi regulam dedit, in Chronico suo ecclesiastico testatur Onufrius Panuinus.